

eticam, et non solum speculativam virtutem habent producendi corpus Christi, etiam quoad substantiam, si illud alias non esset in rerum natura, quamvis de facto nunquam id facient, quia corpus Christi semper est in rerum natura; et tamen non per accidens, sed per se, eo ipso quo acceperunt virtutem substantialis actionis, habent substantiam corporis Christi Domini attingere: sic sacramenta, eo ipso quo sunt instituta ad causandam substantiam gratiæ, causare illam possunt in subjecto non habente, si alias non sit repugnans dispositio, et hoc erit producere primam gratiam.

LXIV. Ad confirmationem respondeo sacramenta vivorum significare practice primam gratiam, eo modo quo possunt illam conferre, scilicet, secundum quod conferre possunt substantiam gratiæ, et in substantia gratiæ continetur prima gratia, si forte in subjecto non sit; et ita eo modo quo significant practice substantiam gratiæ, etiam significant quidquid cum substantia gratiæ virtualiter produci potest; alias etiam probaret argumentum, quod nec per accidens possent producere primam gratiam, si quidem nec per accidens illam significant: nec enim ex accidentali dispositione subjecti significatio accessit, aut mutatur. Igitur ex se significationem habere debent (saltem implicitam) primæ gratiæ et in communi, seu ut continetur in substantia gratiæ, ut si aliter sit subjectum dispositum possint producere.

LXV. Tertio arguitur: Sacramentum eucharistiæ non potest effectum communem conferre (scilicet gratiam) nisi prius ordine rationis conferat proprium effectum, scilicet rationem gratiæ cibantis: sed non potest effectum gratiæ cibantis conferre nisi subjecto jam habenti gra-

tiam: ergo neque potest communem effectum gratiæ tribuere nisi subjecto jam habenti gratiam; ac adeo primam gratiam dare nequit. Major probatur, quia nulla causa potest genericum et communem effectum producere, nisi quatenus particularem producit et sibi proprium, quia solum sub sua specifica ratione potest attingere quidquid attingit: cum ergo specifica ratio eucharistiæ sit gratia cibans, solum sub ratione gratiæ cibantis potest attingere gratiam, consequenter nunquam primam gratiam, sed semper secundam attinget.

LXVI. Confirmatur, nam si eucharistia per se posset conferre gratiam non cibantem, sed primam gratiam, sequeretur attritionem esse sufficientem dispositionem ad eucharistiam, per se loquendo: consequens est omnino falsum: ergo. Falsitas consequentis patet, quia cum sola attritione cognita indigne accedit quis ad eucharistiam: ergo attritio non est per se sufficiens dispositio ad eucharistiam, alias per se sufficeret etiam cognita. Sequela vero probatur: Ratio dispositionis per se requisitæ ad sacramentum desumenda est in ordine, quem per se habet sacramentum illud ad gratiam conferendam: ergo si eucharistia per se ratione generica habet conferre primam gratiam, per se ratione generica sufficit dispositio ad sacramentum conferens primam gratiam; hæc autem est attritio: ergo illa per se sufficit, nam ubicumque prima gratia per sacramentum confertur, sufficiens dispositio est attritio: ergo ubi per se confertur prima gratia, per se est sufficiens dispositio attritio.

LXVII. Confirmatur secundo, nam illud est per accidens in moralibus et practicis, quod est tale supposita

ignorantia (sicut bellum justum solum per accidens dari potest ex utraque parte, quia solum dari potest supposita ignorantia) sed sacramenta vivorum solum possunt dare gratiam primam supposita ignorantia (scilicet, quia existimat quis se esse contritum, et non est) ergo solum per accidens illam causat.

LXVIII. Respondetur ad principale argumentum, quod si illud aliquid probat, probat etiam quod nec per accidens eucharistia potest conferre primam gratiam, nam nec per accidens potest producere aliquid extra specificam et adæquatam rationem suam. Si autem specifica ratio formalis est gratia cibans, nunquam poterit nisi gratiam cibantem conferre, etiam per accidens. Distinguitur ergo antecedens; non potest eucharistia communem gratiam conferre nisi prius ratione conferat proprium effectum gratiæ cibantis, si ad id sufficiens sit dispositio ex parte subjecti, correspondens propriæ rationi causandi et communi, concedo; si non sit sufficiens dispositio ad utrumque, nego; tunc enim poterit agere secundum dispositionem, quam invenit in subjecto; sicut contingit in intentione in ordine ad producendam qualitatem de novo, cum sit proprius effectus alterationis, quæ est species. Itaque primo et per se eucharistia habet requirere et postulare ex parte subjecti dispositionem secundum suam ultimam et differentialem rationem; si autem talis dispositio non sit in subjecto, producet saltem id quod potest ex generica sua ratione, scilicet substantiam gratiæ, quæ tunc in tali subjecto est prima gratia.

LXIX. Ad probationem majoris dicitur, quod nulla causa potest genericum et communem effectum producere, nisi prius natura parti-

cularem et proprium conferat, si attendamus ex parte agentis, et ex ratione efficientiæ: si autem attendamus ex parte dispositionis subjecti, et effectus consecuti nego, quia licet nunquam agens possit sub alia formalitate producere, quam sub propria et specifica, potest tamen ex parte subjecti, seu materiæ non esse propria et specifica dispositio; et ideo conferre genericam rationem.

LXX. Unde quando dicitur, quod causa solum sua specifica ratione attingit quidquid attingit, hoc intelligitur ex parte rationis agendi, non ex parte effectus producti, quia non semper effectus productus debet esse specificus et proprius; hoc enim non solum pendet ex ratione agentis, sed ex dispositione subjecti; quæ si desit, potest tunc attingi genericus et communis effectus, per virtutem tamen causæ, et non per accidens solum.

LXXI. Sed contra solutionem hujus argumentum potest esse, nam quodcumque concursus duarum causarum est per accidens, etiam effectus secutus est per accidens causatus, ut determinat S. Thomas 1 p. quæst. cxv, art. vi; ergo si dispositio ad causandam primam gratiam in sacramentis vivorum non est per se requisita ad talia sacramenta, sed per accidens adjuncta, effectus secutus erit per accidens.

LXXII. Respondetur distinguendo majorem; effectus secutus est per accidens in ordine ad applicationem causarum, concedo; in ordine ad virtutem activam, quæ est in agente, supposita applicatione, nego. Quod enim est per accidens respectu applicationis, respectu virtutis effectivæ non semper est per accidens, quia vere per se influit in effectum. Et ita ille effectus non causatur per accidens effective (id est, respectu efficientiæ per acci-

dens) sed causatur per accidens respectu dispositionis et concursus causæ materialis consideratæ in ordine ad causam agentem secundum suam specificam rationem; non tamen consideratus in ordine ad causam agentem secundum suam genericam rationem; respectu enim hujus sufficiens est dispositio, sicut quando per intensionem causatur substantia qualitatis.

LXXIII. Ad primam confirmationem dicitur, quod dispositio per se requisita ad eucharistiam non debet sumi ex ratione generica, sed ex differentiali, quia ratio generica sacramenti ut sic non requirit determinatam dispositionem, sed solum in genere, et ita non debet imaginari, quod pro generica postulet eucharistia unam dispositionem et pro specifica aliam; nec enim hæ rationes ponunt in numero, sed unum quid efficiunt; et ideo unicam etiam dispositionem requirit eucharistia, quæ ex totali ratione et specifica, non ex sola generica accipienda est; ideo qui accedit cum sola attritione cognita indispositus accedit, quia non se conformat specificæ rationi sacramenti.

LXXIV. Itaque dispositio per se semper sumenda est ex specifica et differentiali ratione; dispositio autem ad primam gratiam dandam non est per se requisita, sed quasi permissa, quia licet sacramentum eucharistiæ ex ratione generica habeat per se quantum est ex parte agentis dare substantiam gratiæ, et primam gratiam, tamen hoc habet supposita dispositione, quam non per se requirit, sed quam permittit, et per accidens est ipsi, quod ponatur; per se autem solum habet dispositionem unam, scilicet, quam ex specifica ratione requirit.

LXXV. Unde quando dicit argumentum, ratio dispositionis per se requisitæ sumitur ex ordine quæ

per se habet sacramentum ad gratiam dandam, distingo; sumitur ex ordine quem per se habet sacramentum absolute et simpliciter, et secundum rationem specificam, concedo; quem per se habet sacramentum non absolute, sed ex aliqua suppositione, et solum ex ratione generica, nego. Habet enim sacramentum ex ratione generica causare posse primam gratiam, supposita tamen tali dispositione, et non absolute; et ideo ex parte quidem agentis habet illam rationem per se causandi, supposito tamen aliquo ex parte subjecti, scilicet dispositione tali, quod non sit in subjecto in re, sed tamen esse existimetur bona fide. Dispositio ergo per se absolute requisita non sumitur ex eo quod sacramentum habet per se causare quocumque modo; sed ex eo quod habet per se causare absolute, et secundum specificam rationem.

LXXVI. Secundo dicitur, et explicatur amplius, quod quando aliquid per se causatur quasi virtualiter et implicite, et non ex propria formali ratione, licet attingatur non ut a causa per accidens, sed per virtutem propriam agentis, tunc non habet propriam et per se requisitam dispositionem, sed quasi permissam, et per accidens. Quando autem aliquid attingitur ex propria ratione formali et specifica, tunc positive et per se requirit dispositionem talem; et ideo qui per se non adhibet illam accedit contrarius rationi formali et specificæ sacramenti, unde injuriosus et irreligiosus ei est: per se autem non adhibet illam qui scienter cum attritione accedit, quia ex scientia non ponit debitam et commensuratam dispositionem. Neque hoc est requirere duplicem dispositionem in sacramentis vivorum, cui correspondeat duplex gratia, sed ponere unam permissam, et alteram positive requisi-

tam: super utramque autem habet virtutem sacramentum effectivam, sicut in multis exemplis explicatum est.

LXXVII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod illud dicitur per accidens contingere, quod attingit supposita ignorantia, distingo; quando sic contingit ex parte rationis formalis agendi, concedo; quando sic contingit ex parte dispositionis requisitæ, sed non ex parte rationis agendi, nego; tunc enim non redditur causa efficiens per accidens, licet sit non efficiens nisi supposito aliquo, quod est per accidens, et ita non habet illud per se efficere (hoc est, ex ratione formali) bene tamen per se, hoc est, per propriam virtutem attingere, et non per accidens. Et præsertim quando dispositio solum est removens prohibens, tunc enim ex eo quod causatur, supposita tali dispositione, non accipitur ratio causæ per accidens, sed quando dispositio immediate ordinatur ad talem effectum, et supposita ignorantia contingit.

LXXVIII. Quarto arguitur: Ratio generica semper invenitur conjuncta cum specifica: ergo si ex ratione generica convenit sacramento eucharistiæ causare primam gratiam, semper invenitur conjunctum cum ratione differentiali illam causare, quod est impossibile, quia quando confertur eucharistia, non causatur prima gratia secundum rationem genericam, et secunda secundum rationem specificam. Etenim id quod confertur per rationem genericam, debet dicere ordinem ad id quod confertur per rationem specificam, si quidem ratio generica semper est cum ordine et contrahibilitate ad specificam; gratia ergo quæ per genericam rationem confertur in eucharistia, per se debet dicere ordinem ad eam, quæ confertur per

differentialem rationem; sed prima gratia non dicit ordinem ad rationem gratiæ cibantis, cum potius sint oppositæ, et non nisi per accidens ei possit convenire: ergo non habet eucharistia per se ex ratione generica causare primam gratiam, sed illam solum quæ ordinatur ad gratiam cibantem.

LXXIX. Confirmatur, nam ratio generica sacramenti novæ legis, non est conferre primam gratiam absolute, abstrahendo a prima vel secunda: ergo non est de ratione sacramenti quoad rationem genericam causare primam gratiam. Antecedens patet, quia illa est ratio generica sacramenti, quæ determinatur per omnes specificas differentias sacramentorum; hæc autem non est prima gratia, sed gratia ut abstrahit a prima et secunda, si quidem prima gratia ut est jam determinate et specificè est gratia: ergo neque ratio generica sacramenti est dare primam gratiam per se loquendo.

LXXX. Respondetur distinguendo consequens; si ex ratione generica convenit causare primam gratiam, semper id invenietur conjunctum cum ratione differentiali; si ex ratione generica convenit per se primo, et ex propria ratione formali ac positiva, concedo; si id convenit per se secundo et quasi extensive, nego. Ex ratione enim generica convenit causare gratiam et substantiam gratiæ, quantum est ex se, et ex ratione differentiali convenit illam causare secundum augmentum. Unde ex positiva et per se requisita dispositione solum habet causare secundam gratiam; si autem ista desit, et non sit in subjecto dispositio contraria, causabit id quod ex generica ratione causare habet (scilicet, substantiam gratiæ in subjecto non habente) et hæc erit prima gratia tali subjecto.

LXXXI. Quare id quod ex formali ratione sua secundum genericam rationem conferre sacramentum, habet etiam semper conjunctum cum ratione specifica differentiali, scilicet causare gratiam ut sic, et substantiam ejus, si non sit in subjecto, nec contraria dispositio. Id autem quod habet non ex ratione formali objectiva absolute, sed supposita conditione subjecti, non est necesse quod semper sit conjunctum cum ratione specifica; sicut in intensione patet, quæ habet producere substantiam qualitatis, non absolute, sed supposito quod non inveniatur in subjecto illam, nec contrariam sibi dispositionem. Et ideo concedimus quod gratia quam confert sacramentum, debet quantum est ex se, et ex ratione formali dicere ordinem ad gratiam, quæ confertur per differentialem rationem; ex suppositione tamen quod in subjecto non sit gratia, neque dispositio contraria substantiæ gratiæ, et susceptioni sacramenti, potest dare gratiam, quæ sit prima illi subjecto, et non secundum rationem differentialem producta, sed secundum genericam, quæ includitur in differentiali non operante ex impedimento subjecti.

LXXXII. Itaque ex parte rationis agendi ratio producendi genericæ gratiam debet dicere ordinem ad rationem differentialem productivam talis gratiæ, ex parte tamen effectus producti non oportet quod rationes istæ sint ita subordinatæ, sed prout dispositio subjecti exegerit; et ita ille effectus non est per se attendendo ad dispositionem subjecti, est tamen per se respectu causæ operantis, supposita tali dispositione; et tunc ratio agendi genericæ ordinatur per se ad rationem agendi differentialem, quæ est secundum gratiam cibantem: ex parte tamen ejus, quod supponitur,

non ordinatur, sed in effectu unum producit sine altero ob dispositionem subjecti; per se tamen ab illa causa, hoc est, per propriam virtutem attingentem illud, non per accidens.

LXXXIII. Ad confirmationem respondetur rationem genericam sacramenti non esse conferre primam aut secundam gratiam determinate, et ex ratione formali objectiva, sed solum gratiam et substantiam gratiæ; in hoc tamen ipso continetur, quod si non inveniatur in subjecto contrariam dispositionem gratiæ et susceptioni sacramenti, per quod debet dari, producat ipsam substantiam gratiæ de novo, quæ erit respectu illius subjecti prima gratia; generica autem ratio est illa, quæ determinatur per specificas rationes sacramentorum, quantum est ex parte rationis formalis agendi, et rationum formalium objectivarum; non autem ex parte effectus producti. Hic enim potest esse productus non secundum omnem rationem (etiam differentialem) causæ, sed solum secundum genericam, si dispositio subjecti amplius non permittat.

LXXXIV. Sed instabis: Impossibile est quod homo generet tantum animal ex parte effectus a se producti; ergo impossibile est quod causante aliqua causa, effectus productus solum illi respondeat quantum ad rationem genericam, respondetur quod nunquam potest effectus aliquis produci secundum rationem genericam et communem solum, sine differentiali et specifica; potest tamen secundum rationem genericam agendi producere aliquem effectum, qui materialiter pertinet ad aliam speciem, quam tale agens secundum suam propriam rationem possit producere; sicut in intensione patet, quæ potest producere qualitatem quoad substantiam; et ita si

non sit alia qualitas in subjecto, producet illam de novo; quod tamen pertinet ad speciem alterationis, licet sub alia ratione formali; et ita illa qualitas nec producit de novo sub ratione formali intensiōis, nec sub ratione formali alterationis, quæ est species; sed sub generica alterationis, quæ tamen materialiter coincidit cum ea quæ producit a specie alterationis; hoc tamen non efficit tamquam causa per accidens, ex parte virtutis et rationis agendi, quia per propriam virtutem, et non per alienam id attingit; supponendo tamen dispositionem per accidens ex parte subjecti.

LXXXV. Quinto arguitur ex inconvenientibus, quæ sequuntur. Primo enim sequitur, quod omnia sacramenta sint per se instituta ad remittendum peccatum mortale, saltem secundum rationem genericam; consequens autem est falsum, et sequela patet, quia ex generica ratione sunt instituta ad dandam primam gratiam; prima autem gratia est remissio peccati mortalis; et ita sacramenta, quæ sunt per se instituta ad dandam primam gratiam, sunt per se instituta ad remittendum peccatum mortale.

LXXXVI. Secundo sequitur, quodlibet sacramentum posse assumi ad effectum remissionis peccati, præsertim si desit sacramentum pœnitentiæ, quia quodlibet ex genere suo habet illa remittere; et consequenter posset tunc cum sola attritione cognita assumi.

LXXXVII. Tertio sequitur, quodlibet sacramentorum vivorum habere duos effectus gratiæ; alterum ratione generica, secundum quam dat primam gratiam; alterum ratione specifica, secundum quam dat secundam; utraque enim gratia substantiam gratiæ dicit; et cum rationi genericæ respondeat pri-

ma gratia, si homo jam sit contritus, non privabitur fructu correspondente rationi genericæ, et ita illam primam gratiam accipiet et ejus augmentum, quia sacramenta per se instituta ad primam gratiam, si illam inveniunt in subjecto, augent illam; et rursus recipiet gratiam ratione correspondente specificæ differentiæ, quæ est gratia secunda.

LXXXVIII. Et similiter si quis cum sola attritione accedat ad eucharistiam, recipiet primam gratiam ex ratione generica, et tunc jam subjectum erit dispositum ad augmentum gratiæ, quod recipiet secundum rationem specificam eucharistiæ; sicut motus intensiōis, quando producit qualitatem quoad substantiam, etiam intendit et perficit illam.

LXXXIX. Respondetur ad primum inconveniens negando sequelam, nam si sit sacramentum per se institutum ad remittendum mortale, non sufficit quod quacumque per seitate illius remissionem attingat, sed quod ex vi rationis formalis id attingat, et ex propria ratione; quod autem attingat illam per se, hoc est, propria virtute attingendo talem effectum, non tamen ex propria ratione formali, sed sub ratione formali producendi substantiam gratiæ, hoc non facit esse per se omnia sacramenta instituta ad remissionem peccati, sed per se sunt instituta ad substantiam gratiæ producendam, sive prima sit, sive secunda; in aliquibus enim secundum propriam rationem formalem est secunda gratia, et ex suppositione aliqua etiam prima.

XC. Ad secundum inconveniens, etiam negatur sequela. Ad hoc enim quod assumatur sacramentum aliquod in ordine ad effectum, oportet quod nec sit contraria dispositio ipsi gratiæ dandæ, neque ipsi suscep-

tioni sacramenti. Contrariatur autem susceptioni sacramenti, qui non assumit illud cum dispositione ad effectum, ad quem per se, et ex ratione formali et specifica est institutum; alias enim contemnitur sacramentum; et ita cum tali dispositione non est aptus quis ad effectum suscipiendum, qui susceptioni sacramenti non est idoneus; et ideo non sufficit attritio cognita, quia contrariatur susceptioni sacramenti.

XCI. Ad tertium inconueniens negatur etiam sequela, quia sacramentum non habet duplicem essentiam aut causalitatem, aliam secundum genus, et aliam secundum speciem, sed unicam secundum speciem suam; licet si dispositio ex parte subjecti non sit, ut secundum ultimam differentiam agat, possit agere et producere saltem quod ex genere potest, et dispositio ipsa sufficiens est; sicut sol producit pleraque conformiter ad dispositionem suscipientium, licet ex vi actionis aliud intenderet. Et cum Sacramentum operetur juxta dispositionem subjecti, si unica dispositio datur, unicus etiam effectus consequetur: unde si quis accedit cum contritione ad sacramentum, recipiet juxta modum ipsius, et si quis accedat cum attritione, recipiet juxta modum ejus, et non amplius; non enim duæ causalitates sunt ex parte generis et ex parte speciei, sed quod dicimus est, quod si aliquando contingat dispositionem non esse idoneam ad specificam rationem, ex generica habebit aliquid producere. Unde si quis cum attritione accedat, recipiet primam gratiam attritioni correspondenti; ea vero suscepta, non recipiat aliam, quia ea quam suscepit, non est dispositio ad susceptionem talis sacramenti, sed effectus ejus; et ideo non suscipiet ultra aliud augmentum, nisi

ultra disponatur ad susceptionem ejus.

XCII. Quod vero additur de motu intensionis, dicimus quod ille quando producit substantiam qualitatis, etiam et perfectionem producit, si in subjecto non sit contraria dispositio, quia tunc agit secundum totam virtutem: si autem sit, verbi gratia, resistentia B in subjecto, et applicatur agens ut B, et dimidium, producet solum dimidium qualitatis oppositæ, non autem B. Et similiter si in suscipiente sacramentum non sit contraria dispositio, recipiet augmentum; si autem solum sit dispositio ad recipiendam primam gratiam, non vero sit dispositio, cui commensuretur augmentum, non producet, quia non potest a sacramento augeri gratia, si subjectum nondum habebat illam, sed tunc primo ex susceptione sacramenti incipit habere.

XCIII. Sexto arguitur: In naturalibus potentia quæ ordinatur ad augendam quantitatem, non potest primam quantitatem causare: ergo neque in supernaturalibus sacramentum quod ordinatur ad causandam secundam gratiam, poterit primam producere; præsertim cum hæc sufficiat ad salvanda loca Concilii, imo et Scripturæ, in quibus justificari dicitur etiam is qui auget gratiam. Et similiter S. Thomas infra quæstione LXXII, articulo VII, loquens de confirmatione, et postmodum de eucharistia, dicit quod solum causant per se augmentum gratiæ.

XCIV. Confirmatur: Differentia est extra rationem generis; ergo impossibile est quod idem prædicatum per se conveniat ratione generica, et ratione specifica: sed baptismo et pœnitentiæ convenit per se ratione specifica causare primam gratiam: ergo non potest convenire per se ratione generica.

XCV. Respondetur esse longe diversam rationem in quantitate et in gratia, nam quantitas est naturalis passio corporis: unde quantum ad primam sui productionem debet cum substantia ipsa corporea produci. At vero augmentum quantitatis non est ejus passio, unde potest produci diversa actione; hæc autem non potest ipsam attingere ut passionem propriam, et ideo non potest ipsam primo producere. Gratia autem, et aliæ qualitates quæ non sunt passionibus, ab eadem actione a qua intendi et perfici possunt, etiam primo et quoad substantiam produci possunt. Et licet testimonia Scripturæ et Concilii possint explicari de augmento gratiæ, tamen quia universaliter tribuere videntur sacramentis productionem gratiæ quoad substantiam, et de novo producendam, ideo consequenter docere videntur, convenire illis producere primam gratiam, si in subjecto non inveniunt, nec etiam contrariam dispositionem gratiæ, aut susceptioni et applicationi sacramenti.

XCVI. Ad confirmationem respondetur, quod idem prædicatum non potest convenire sub eadem ratione formali ex ratione generica et specifica; bene tamen stat, quod prædicatum, quod sub tali ratione formali convenit rationi specificæ, idem materialiter sub alia formali ratione possit aliquando attingi a genere; sicut ratio alterationis specificæ attingit qualitatem de novo, ut per motum acquiritur de non esse ad esse; eandemque attingere potest ratio generica alterationis in intensione. Sic etiam baptismo et pœnitentiæ convenit per se ex ratione formali specifica causare primam gratiam, et remissionem peccati; nihil tamen repugnat quod ratio generica sacramenti, quæ habet producere substantiam gratiæ, illam

attingat in aliis sacramentis, non tamen sub eadem ratione formali, qua baptismus et pœnitentia, scilicet, nec ut regenerantem, nec ut sanantem, nec ut tollentem peccatum præcise, sed ut producens substantiam gratiæ in subjecto non contrarie disposito.

DUBIUM TERTIUM.

QUÆ DISPOSITIO SIT NECESSARIA AD ACCEDENDUM AD SACRAMENTUM?

Conclusio est affirmativa.

XCVII. In sacramentis mortuorum pro adultis sufficit attritio de peccatis, actualis, vel virtualis; in sacramentis vivorum non exigitur aliqua actualis vel virtualis dispositio, sed sufficit habitualis, id est, gratia; si vero ista desit, requiritur per se contritio: et loquimur de effectu sacramenti, qui est gratia.

XCVIII. Pro intelligentia hujus conclusionis supponendum est, duo esse certa in hac parte. Primum et fundamentale est, quod sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter gratiam conferunt. Sic Tridentinum sess. VII, can. VI; ratio vero est ex institutione et promissione Christi infallibili sacramentis facta, quæ frustrari non potest. Et cum promissio ista sit ad dandam gratiam, ut patet in sacramentorum institutione, quæ habetur in multis locis Scripturæ, immutabilis semper perseverat talis promissio, et causalitas ex illa secuta.

XCIX. Et deinde, quia sacramenta sunt instituta ut signa practica gratiæ, non solum practica in significando, sed etiam ut virtutem habentia ex passione Christi: ergo necesse est ut ex se sint semper infallibiles causæ, et signa gratiæ; alias si ex se hanc infallibilitatem non habe-